Q. D. B. V.

DISPVTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE

PRAECIPVO FILIORVM ET FILIARVM

Vom

Voraus der Söhne und Töchter

QVAM

AVXILIANTE DEO

ET

CONSENTIENTE

MAGNIFICO ICTORVM ORDINE

IN ILLVSTRI ACADEMIA ALTORFINA

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE JVRE HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA OBTINENDI

DEFENDET

CHRISTOPHORVS FRIDERICVS REYHER

NORIMB.

AD DIEM XXVI. JVNII, ANNO MDCCXIX.

RECVSA SVMPTIBVS IOHANNIS CHRISTOPHORI WEDELII, 1730.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

§. I.

QUamvis Jus Juſtinianeum ceu ex optimis naturalis æquitatis rationibus, & Gentium ſaniorum placitis deſumtum, ac Juſtiniano Imperatore Auctore, a ſapientiſſimis Viris ordinatum, tam ſit æquum, rationabile & abſolutum, ut omnium fere Chriſtianarum Gentium uſu & approbatione commune ſit effectum, prout Carolus Molinæus *Comment. in Pariſ. Conſuetud. Tit.* 1. *Gl.* 1. *n.* 10. Artur. Duck. *Tr. de Uſu & Auctor. Jur. Civ. L.* 1. *C.* 2. Duaren. *in præf. ad ff.* aliique veritate adacti, id nolentes, volentes, affirmare ſunt coacti: Attamen de hoc Jure in univerſum aſſerere, id in omnibus punctis Germanici Populi genio conforme & conveniens eſſe, ſtatuum in Imperio Romano-Germanico hodie vigentium, & hodierni Populi morum diverſitas, aliarumque circumſtantiarum varietas omnino vetant. Hinc paſſim per conſuetudines tam Imperii univerſalem quam diverſarum Regionum ac Civitatum legitimos mores & ſtatuta huic Juri derogari, & præter illud, vel juxta, aliquid novi introduci poſſe, quotidiana ſatis evincit experientia. vid. Gail. *L.* 1. *O.* 36. Hahn. *in obſ. Theor. Pract. ad*

Parat. Weſenb. L. 1. *Tit.* 3. *n.* 9. Cujus perſpicuum & ſingulare exemplum hic exhibet filiorum & filiarum Præcipuum, non ſolum conſuetudinibus Imperii univerſalibus, verum etiam ſtatutis ſingularibus receptum & approbatum; de quo ceu materia admodum utili & in praxi uſitata in præſentiarum loco Thematis inauguralis diſſerere conſtitui. Faxit DEUS, ut feliciter.

§. II.

Cum alias frequens & ſolenne Diſputantibus ſit, non ſtatim ad ipſius rei penetralia progreſſum facere, ſed potius præliminaria quædam vocis ante omnia pertractare. Hinc ut ego eadem mothodo utar, vocis Præcipui aliqualem explanationem præmittam, ut hac perſpecta, eo feliciori ſidere ad reliquorum deductionem pedem proferre queam. *L.* 1. *ff. de J. & J.* Hoc autem vocabulum Præcipui, Germ. der Voraus / a præpoſitione præ, vor / & verbo capere, nehmen / derivatum, varias recipit ſignificationes: Quandoque enim præcipere idem eſt ac jubere, uti faciunt, qui aliis præſunt, unde præcepta Magiſtratuum dicuntur, item præcepta Juris. Interdum idem eſt, ac inſtruere: docere: Qua ratione Præceptores appellantur. Nonnunquam & illam, Præcipuum, notionem habet; quando de Abrahamo Patriarcha legitur, quod decimas Deo de præcipuis dederit. B Lutherus ita vertit: von der eroberten Beuthe i. e. de capta per victoriam præda, ſive de manubiis *Hebr. c.* 7. *v.* 4. Vel cum ſecundum quarundam civitatum & provinciarum ſtatuta, in unione prolium, liberis prioris matrimonii præcipuum aliquod i. e. certa quædam pecuniaria quantitas vel ſpecies aſſignatur. vid.

Rick.

Rick. *de union. Prol. c. 7. n.* 24. Hoc loco hæc vox refertur ad filios & filias, & idem ac præcaptum vel præcapiendum denotat, eò quod antequam communis parentum hæreditas dividatur; hoc ut filiorum vel filiarum proprium deducatur. Unde Præcipuum, (quatenus pro re præcipienda ſumitur) hic commode definiri poteſt: Quod nihil aliud ſit, quam res filiis & filiabus præter hæreditariam portionem ita aſſignata, ut ante diviſionem capiatur, vel ſi jam accepta eſt, retineatur. Quatenus autem pro jure percipiendi accipitur, eatenus Præcipuum eſt Jus, dictam Rem, dicto modo capiendi ac retinendi.

§. III.

Hoc autem Præcipuum filiorum & filiarum non unius ſemper ejusdemque eſt generis, ſed commode dividi poteſt in voluntarium, legitimum, & ſtatutarium. Voluntarium eſt; quod filiis & filiabus ex parentum ultima voluntate debetur. Quando nimirum parentes filiis vel filiabus aliquid ſupra hæreditatis partem Præcipui titulo relinquunt, quod alias in Jure noſtro Prælegatum vocatur. *l.* 27. *§.* 1. *l.* 41. *§.* 3. *ff. de Legat.* 3. Legitimum eſt, quod lege ipſa introductum, inſtitutum, confirmatum & comprobatum eſt. *l.* 1. *§.* 15. *ff. de Collat.* & pro diverſo reſpectu bonorum, eſt vel filiorum tantum, quorſum referenda ſunt bona caſtrenſia, vel quaſi, quæ a filiis tantum acquiri poſſunt. *c. l.* 1. *§.* 15. *ff. de collat. l.* 4. *ff. de caſtr. pecul.* Vel filiorum & filiarum ſimul, quorſum pertinent bona adventitia. *§.* 1. *Inſt. per quas perſonas &c. l.* 6. *C. de Bon. quæ liber.* Statutarium denique eſt, quod moribus & ſtatutis qua-

rundam regionum & civitatum introductum & conſtitutum eſt. Hoc iterum eſt vel maſculinum vel fœmininum. Maſculinum eſt quod filii: Fœmininum quod filiæ ſolum præcipiunt: vid. Ref. Nor. *Tit.* 34. *l.* 2. vom Voraus der Söhne und Töchter.

§. IV.

Quemadmodum ergo Præcipuum non unius ſemper ejusdemque eſt generis, ita nec ejusdem cauſa efficiens: ſed pro diverſitate Præcipui diverſa eſſe ſolet, nimirum vel benigna parentum voluntas, vel lex, vel ſtatutum. Hinc ut primum Præcipuum obtineat, requiritur Teſtamentum Parentum, ita ſcilicet, ut ii demum, qui teſtamenti faciendi jus habent, liberis ſuis aliquid præcicipui titulo relinquere poſſint; *l.* 2. *ff. de Legat.* 1. *l.* 1. *§.* 2. *ff. de Legat.* 3. *§.* 10. *Inſt. de fideicomm. heredit.* Ad Præcipuum ſecundum conſtituendum requiritur ipſa lex *§.* 1. *Inſt. per quas perſon. &c.* *l.* 1. *§.* 15. *de Collat.* *l.* 6. *Cod. de Bon. quæ lib.* Et denique ad tertium Præcipuum requiritur ſtatutum, vel conſuetudo. vid. Reform. Nor. *c. l.* Sächſ. Land-Recht. *L.* 1. *Art.* 27.

§. VI.

Perſonæ Præcipuo gaudentes hic ſunt filii & filiæ, qui pro varietate Præcipui etiam varie conſiderari debent. Et quidem, ut filii & filiæ hoc præcipiendi jure ex ultima parentum voluntate gaudere poſſint, requiritur, ut teſtamenti factionem paſſivam habeant, h. e. heredes inſtitui, & aliquid ex teſtamento capere queant. Hinc excluduntur ex damnato coitu nati. *Auth. Licet. C. de Natur. liber. l.* 6. *C. de inceſt. Nupt.* Hæretici. *l.* 4. *C. de Heret. Auth. Credentes. Auth. Gazaros.*

Digitized by Google

zaros.C. eod. Deportati *l.* 1. *C. de Hæred. inſtit.* Banniti vel proſcripti ab Imperatore, quia & hi inſtar hoſtium à communione Juris communis vel etiam ſtatutarii, omniumque beneficiorum ac privilegiorum excluduntur. arg. *l.* 5. *§.* 1. *ff. de capit. minut.* Carpz. *Prax. Crim. p.* 3. *qu.* 40. *n.* 91. Gail. *de Pac. publ. l.* 2. *per tot.*

§. VI.

Ad Præcipuum Legitimum quod attinet, ſciendum eſt, quod iſtud filii vel filiæ ex ipſa lege capiant, & quidem pro diverſitate bonorum vel filii tantum, vel filii & filiæ ſimul. Nam quædam bona ita ſunt comparata, ut ſolum a filiis, quædam vero ita, ut tam a filiis, quam a filiabus acquiri poſſint. Prioris generis ſunt bona caſtrenſia & quaſi, *l.* 14. *ff. de pec. caſtrenſ.* quæ filiæ ideo acquirere non poſſunt, quia ab omnibus Officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt, & ideo nec Judices eſſe, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec pro alio intervenire, nec procuratores exiſtere, nec milites eſſe poſſunt. *l.* 2. *ff. de R. J. l.* 4. *pr. ff. de R. M.* Item huc pertinent bona feudalia, in quibus filii filias regulariter excludunt. 1. *F.* 1. *§.* 3. *&* 1. *F.* 8 *in pr. & §.* 2. Poſterioris generis ſunt bona adventitia *cit. §.* 1. *Inſt. per quas perſ. &c. l.* 1. *§.* 15. *ff. de collat. l. ult. C. eod. l.* 6. *C. de Bon. quæ lib.*

§. VII.

Præcipuum quoque ex ſtatutis quarundam regionum & civitatum tam filiis quam filiabus deberi, inter alia videre eſt ex ſupra cit. Ref. Nor. *l.* 2. *tit.* 34. In qua, cum ſaltem mentio fiat filiorum & filiarum, in diſquiſitionem venit; Utrum etiam Nepotes & Neptes

conti-

contineantur? Dn. Wurffbain. *in Differ. Jur. Civ. & Ref. Nor.* negativam, (quæ & mihi placet,) amplexus eſt ſententiam, quando ibidem ait: Noc locum habet in Nepotibus, (utut Ref. Antiqua *de A.* 1522. & antiquior *de A.* 1479. utrobique *L.* 2. *Tit.* 14. ubi in hac expreſſe invenitur; **Es ſoll dergleichen mit des verſtorbenen Sohns oder Tochter Kindern / oder Enckelein an ſtatt ihres Vatters oder Mutters gehalten werden /** agit autem *d. L.* 2. **Vom voraus oder Vortheil der Söhne und Töchter ohne Geſchäfft /** aliud conſtitutum fuit) de Jure Ref. Noviſſimæ *de A.* 1564. cujus veſtigia hic premimus, I. Quia ſtatuta proprie intelligenda; Proprie autem loquendo, filiorum appellatione nepotes non veniunt, quamvis Id verum ſit de liberorum ſumto vocabulo, *l.* 6. *ff. de Teſt. Tut. ibiq. Gothofred.* juncta *l.* 220. *§.* 1. *ff. de V. S. §. fin. Inſt. qui teſtam. tut. ibiq. Sylveſtr. Aldobrand. lit. d.* Idem Dn. Rittersh. *in Comment. Inſt. ibid. fol. m.* 99. ubi addit rationem, quia ut perſonæ ſunt diſtinctæ, ita etiam vocabula. Quod tamen propter juſtam cauſam admittenda ſit hæc interpretatio, ut in *l.* 84. *l.* 201. *d. l.* 220. *§.* 1. *ff. de V. S. l.* 41. *§. concubina. ff. d. l.* 3. *l.* 59. *ff. de R. N.* docet Fachin. 5. *Controv.* 18. *fol. m.* 276. *& ſeqq. II.* Quia veriſimile eſt Dnn. ſtatuentes de uno tantum & non ſimul de alio etiam ſtatuere voluiſſe, idque juxta filios & filias etiam nepotum mentionem facientes, ſicut hoc ipſo *t.* 34. *l.* 4. factum eſt; ſi & his Præcipua **oder den Voraus** percipere per eos licuiſſet: Cum vero illi omiſſi ſunt, regulæ illi communi locus erit: Expreſſit ubi voluit, E. noluit, ubi non expreſſit; quæ maxime in ſtatutis obſervatur: Facit præterea arg. dd. & à Dn. Rittershuſ. & Fachin. *alleg. Texx. & exinde collecta conſeq.* ſi ſc.

volun-

Digitized by Google

voluntatis conjectura aliquid ſuaſerit; a teſtatorum autem voluntate ad voluntatem eorum, qui in poteſtate habent ſtatuta condendi conſequentia valebit. Wurſtb. *c. l. p.* 233.

§. VIII.

De Jure Saxonico tamen Præcipuum non ſolum filiis & filiabus, ſed etiam nepotibus obvenire, teſtatur Carpz. *P.* 3. *C.* 38. *D.* 36. ubi ait: quod dubium non ſit, quin nepotes una cum filiis Jure repræſentationis ad ſucceſſionem rerum expeditoriarum, quas Avus reliquit, in ſtirpes admittantur, perinde ac Neptes cum filiabus ad ſucceſſionem Geradæ, diſtinctione tamen adhibita inter bona. Ratione namque Præcipui ex hereditate paterna, & quidem quoad res expeditorias, ſola agnatio attenditur, hincque ſolum filii conſanguinei una cum fratribus germanis vel ab utroque latere conjunctis ad illas admittendi ſunt, & reſpectus ſaltem habetur ad lineam maſculinam. vid Carpz. *P.* 3. *C. ult. def.* 37. Quamvis vero hæc, quoad bona expeditoria ſucceſſio, tantum in ſucceſſione Nobilis, vel militis primitus obtinuerit, non vero in civibus & ruſticis, vid. Richter. *de Succeſſ. ab inteſtato. Sect. I. Membr. n.* 54. poſtea tamen ad civium ſucceſſionem conſuetudine traducta eſt, teſte eodem Carpz. *d. Conſt. def.* 24. *in fin.* Succedunt vero in his bonis filii æqualiter, niſi quod ſenior ex illis gladium præcipuum capiat, ptopterea, quod natu majori onus militiæ potiſſimum incumbat. Petr. Heig. *l.* 1. *qu. illuſtr.* 8. *n.* 29. Idem obſervatur in Carnifice, cujus glaudius optimus filio, reliqui vero omnibus liberis indiſtincte debentur. Et ita JCti Helmſta-

 dienſes

dienſes menſe Jul. An. 1642. M. R. zu Weißenfelß reſponderunt: Daß dem Sohn von den hinterlaßenen Richt-Schwerdtern nicht mehr als eins/ und zwar das beſte zum Heer-Geräthe gehöre/ die übrigen kämen in gemeine Theilung/ und haben daran auch die Töchter ihren Antheil V. R. W. Cæterum tunc demum res expeditorias petere poſſunt filii, ſi hujus generis res in hæreditate reperiantur, quod ſi non adſint, nec æſtimationem petent. Cœler. *P.* 1. *dec.* 203. *n.* 9. Carpz. *d. l. def.* 22.

§. IX.

Quemadmodum autem in rebus expeditoriis ſolum filii, ſic in rebus utenſilibus filiæ regulariter tantum admittuntur, excluſis aliis omnibus perſonis, quæ ex linea maſculina deſcenderunt. Notanter dixi: regulariter, quia exceptio eſt in filiis Clericorum, qui cum filiabus æqualiter in Gerada matri ſuccedunt. Land-Recht *l.* 1. *art.* 5. Goldbeck. *de ſucceſſ. Gerad. p.* 36. *n.* 4. Quod & in ipſis Clericis procedit, & a Dd. ad ſacerdotes noſtri temporis extenditur, ita ut & hi cum ſororibus matri (in cuius ſucceſſione hoc tantum procedit) in Gerada æqualiter ſuccedant. Goldbeck. *d. l. p.* 36. *n.* 17. Carpz. *P.* 2. *C.* 14. *def.* 60. Cujus rationem in eo collocant, quia Clerici rerum expeditoriarum capaces non ſunt. Ergo in redhoſtimentum earum ad ſucceſſionem Geradæ admittuntur. Goldbeck. *d. Tr. Rubric. de Specieb. quas uxor &c. n.* 13. *p. m.* 87. conf. Sächſ. Land-Recht. *l.* 1. *Art.* 5. *in verb.* der Pfaff nimmt gleichen Theil mit der Schweſter in der Mutter Gerade &c. ubi Gloſs. hujus rei hanc reddit rationem, quod ſcil.

hoc

Digitized by Google

hoc fiat ob Clericorum preces, quibus omnis mundus fruitur. add. Hartm. Piſtor. *Obſ.* 172. *n.* 2. Item Stryk. *in Tr. de Succeſſ. ab inteſt. Diſſ.* 1. *c.* 5. *§.* 12. ubi miratur, quare hucusque Saxones non ex æquo utriusque ſexus liberos ad ſucceſſiones allodialium vocaverint, & luxui fœminino, in comparandis rebus utenſilibus, in præjudicium filiorum ſine omni ratione indulſerint, cum inter Geradam & Hergewettam nulla proportio ſit.

§. X.

Bona, quæ Præcipuum conſtituunt, & quidem ultima Parentum voluntate filiis vel filiabus prælegari posſunt, ſunt res quælibet, tam corporales quam incorporales. *§.* 21. *Inſt. de legat.* tam præſentes, ſeu extantes, quam futuræ. *§.* 7. *Inſt. eod.* tam propriæ, quam alienæ, *§.* 4. *Inſt. eod.* Ref. Nor. *Tit.* 31. *l.* 5. Licet enim de rebus prorſus alienis dubitari poſſit, an recte legentur, quia legato acquiritur dominium, *§. fin. Inſt. per quas perſ. cuique acquir.* nemo autem alenæ rei dominium, ſive plus juris, quam ipſe habet, in alium transferre poteſt, *l.* 54. *ff. de R. J.* Contra tamen receptum eſt, rem etiam alienam legari poſſe, propter favorem ultimarum voluntatum, ut effectum ſortiantur. *l.* 39. *§.* 7. *ff. de leg.* 1. Publice namque expedit, ſuprema hominum judicia exitum habere *l.* 5. *ff. Quemadm. Teſtam. aper.* Nihilque eſt, quod magis hominibus debetur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus, & licitum, quod amplius non redit arbitrium. *l.* 1. *de SS. Eccleſ.* Qua ratione nihil poteſt eſſe in hac vita jucundius, quam ut extincto etiam corpore voluntas regnet. *N.* 1. *cap.* 1. *§.* 4. *circa fin.* Et licet alias rebus alienis legatis

 Teſta-

Digitized by Google

Teſtatoris ſcientia ab ignorantia diſtinguatur, ut ſcil. rei alienæ legatum valeat, ſi Teſtator eam alienam eſſe ſciat, ſecus ſi ignoret. Cujus diſtinctionis ratio eſt, quia teſtator errans in rei ſuæ dominio non intelligitur conſentire, *l.* 15. *ff. de Jurisdict. l.* 116. *ff. de R. J. l.* 8. *&* 9. *C. de Jur. &. fact. ignor.* nec præſumitur legaturus fuiſſe, ſi eam rem alienam eſſe ſciviſſet, ſumta conjectura a communiter accidentibus: cum voluntates hominum ſint faciliores in rebus ſuis legandis, quam in alienis comparandis. *l.* 67. §. 8. *ff. de leg.* 2. *l.* 11. §. 1. *ff. de leg.* 1. Attamen in hoc prælegato filiis vel filiabus relicto, hac diſtinctione opus non eſt, ſed illud prælegatum iis omnino debetur, etiamſi teſtator rem alienam eſſe ignoraverit, & ſuam eſſe putaverit, quoniam propter ſummum erga liberos affectum præſumitur legaturus fuiſſe, etiamſi rem alienam eſſe ſciviſſet, uti expreſſe ab Alexandro reſcriptum eſt in *l. Cum alienam* 10. *in fin. C. de leg.* adde *l.* 72. *ff. ad SCt. Trebell.*

§. XI.

Res, quas filii, vel filiæ ex Lege ipſa præcipuas habent, vel capiunt, & quidem filii tantum, ſunt bona caſtrenſia *l.* 4. *ff. de pecul. caſtr. l.* 1. §. 15. *ff. de collat.* quæ filii intuitu aut occaſione militiæ ſagatæ ſibi acquiſiverunt, illisque conceſſa ſunt in compenſationem egregiarum illarum operarum, quas pro defendenda patria ſuſceperuut, & ut alii, ejusmodi præmio ad militares labores invitarentur. Pertinent autem ad hæc bona, res mobiles & immobiles *l.* 1. *C. de. Caſtr. pecul. l.* 4. *C. Famil. herciſc.* modo ratione militiæ armatæ ſint acquiſitæ, ita ut filiusfamilias illas ſine militia non acquiſiviſſet

l. 11.

Digitized by Google

l. 11. *ff. de caſtr. pecul.* Iſtud tamen nihil refert ſive quis per ipſam militiam aliquid acquiſiverit, ſtipendia militaria, & ſpolia in ipſo conflictu, excurſionibus, in Schlachten / Stürmen / und ſonſten comparata. vid. Articuls-Brief auf die Teutſchen Knechte Maxim. *de An.* 1570. *art.* 62. ſive ipſi aliquid occaſione militiæ obvenerit, quod niſi mlitaſſet, acquiſiturus non fuiſſet, ut ſi pater, mater, vel etiam extraneus amicus filio militi, vel etiam in militiam eunti res mobiles donaverit. *l.* 1. *C. de caſtr. pecul. l.* 4 *C. fam. hercisc. l.* 3. *§.* 4 *ff. de Donat. inter vir. & uxor.* aut unus ex commilitonibus, licet ſit cognatus & frater vel alius per militiam cognitus, propter affectionem vel cognitionem caſtrenſem ipſum hæredem inſtituerit, *l.* 1. *l.* 4. *C. de caſtr. pec. l.* 5. *l.* 19. *pr. ff. eod.* Lauterb. *concl. for. exerc.* 27. *th.* 1.

§. XII.

In hiſce igitur bonis caſtrenſibus Parentes penitus nihil juris habent, *l.* 10. *C. de caſtr. pec.* nec quicquam de iis adimere poſſunt. *l.* 12. *l.* 18. §. 1. *ff. eod.* ne quidem pro emancipationis præmio. *c. l.* 6. §. 3. *C. de caſtr. pec.* Sed filii habent plenum dominium *l.* 6. *pr. C. de bon. quæ liber. l. penult. §.* 2. *C. de uſufr.* quod etiam poſt mortem patris præcipuum retinent, nec illud fratribus conferre tenentur. *l.* 1. *§.* 15. *ff. de collat.* Carpz. *P.* 3. *Conſt.* 11. *Def.* 9. *n.* 2. *&* 3. Inde illud proprio nomine poſſident *l.* 17. *§.* 2. *ff. ad Municip.* ac liberi de illo etiam ſine patris conſenſu *l.* 2. *C. de caſtr. pec.* tam inter vivos, quam mortis cauſa diſponunt. *l.* 2. *l.* 4. *§.* 2. *l.* 5. *l.* 6. *ff. eod. tit.* quia filiifam. quoad effectum horum

Digitized by Google

bonorum pro patribusfam. habentur. *l. 2. ff. ad SCt. Maced. l. 6. §. f. ff. de injuſt. rupt. & irrit. fact. Teſtam.*

§. XIII.

Porro inter res, quas filii ex lege præcipuas habent, referuntur bona quaſi caſtrenſia, quæ filiisfamil. ex quaſi militia artibus ſcil. liberalibus & functionibus publicis ſunt rite quæſita. *§. fin. Inſt. de milit. Teſtam. l. ult. pr. C. de inoff. Teſt.* Quocunque enim Jure & privilegio utuntur milites armati; eodem etiam fruuntur togati, *l. f. C. de Palatin. Sacr. largit. l.* 12. Everhard. *in Top. a milit. arm. milit. n.* 1. Quemadmodum igitur filiusfam. miles, omnia præcipua habet, quæ pater ei in caſtra proficiſcenti elargitus eſt; *l. 4. in pr. ff. de caſtr. pecul.* ita & filiusfam. ad Muſarum caſtra proficiſcens omnia præcipua habere debet, cum utrobique par ſubſit ratio & cauſa, *l. 14. C. de Advocat. diverſ. Jud.* Quo reſpicit Imperator Anaſtaſius in *l. 5. C. de ſil. & decur. eor.* ita reſcribens: Jubemus clariſſimorum ſilentiariorum præditos militia, etſi genitorum ſuorum in poteſtate ſint conſtituti, quæcunque ſolatiorum, ſeu emolumentorum, vel donationum ſeu hæreditatum nomine per militiam vel quamlibet ejusmodi cauſam his acquiſita ſunt vel fuerint, jure caſtrenſis peculii poſſidere, nec ea poſſe vel parentes ſuperſtites ſibi vindicare, vel auferre, vel etiam poſt eorum obitum fratres vel alios eorum hæredes quaſi ad defunctorum dominium pertinentia in diviſionem deducere, nec enim oportet laborum eorum aliis fructum vel lucrum adferre. Hac namque ratione ſimul & contemplatione, nec ipſam militiam vel ſuffragium quodcunque pro ea, vel eisdem

viris

Digitized by Google

viris devotiſſimis ſilentiariis, vel a parentibus eorum, vel a quolibet alio datum eſt, vel fuerit, vel ab his patimur in ſucceſſionem defunctorum parentum conferri, ſeu nomine collationis in medium easdem offerri, pecunias, vel his imputari.

§. XIV.

Ex horum ergo textuum, generali ratione idem de filiofam. ſtudioſo aſſerere poſſumus, cum iisdem, quibus miles, gaudeat privilegiis. Inde non deterioris, ſed melioris conditionis & prærogativæ eſſe debet; Quamvis enim juxta notum verſiculum:

Dent magnum Martis victricia cornua nomen:
Gloria lausque tamen major ab Arte venit.

Cui ſententiæ ulterius ſuffragatur *l.* 20. *§.* 6. *ff. famil. herciſc.* ubi ſtatuitur filium debere præcipere, ſi in muneribus publicis, in quibus pater ei conſentit, reliquatus ſit, quod hoc æs alienum ſit patris. Idemque reperitur in *ejusd. leg. §.* 7. Eodem confert *L.* 3. *§. f. ff. de muner. & honor.* Item *l.* 50. *ff. fam. herciſc.* ubi dicitur quod æquitas non patitur, ut ea, quæ pater debita pietate ductus filio ſtudiorum cauſa ſubminiſtravit, in rationem portionis, quæ ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computentur, niſi credendi animo ipſi a patre ſubpeditata fuerint. Quo ſane innuit JCtus, etiam ſumtus ſtudiorum cauſa factos filiumfam. præcipuos habere, nec eosdem conferre debere, cum non credendi, ſed potius donandi animo pater illos feciſſe præſumatur. Quæ pietas & donandi animus exinde magis colligitur, quod pater mittens filium in academiam, videtur ſe illi obliga-

obligare ad dandos ſumtus, quibus ibi vivendum. Qui enim vult conſequens, vult etiam antecedens, ſine quo illud eſſe nequit. Aſt pater vult filium eſſe in Academia, ibique bonas literas addiſcere; Ergo vult illi etiam dare ſumtus, ſine quibus ibi eſſe non poteſt. arg. *L. 2. ff. de Juriſd.* Menoch. *L. 3. præſumt. 36. n.* 16. Quibus accedit, quod e re Reip. ſit, ne ſumtus ſtudiorum cauſa facti in collationem veniant, cum alioquin filii, metu collationis faciendæ, ſtudia & virtutem neglecturi, & magis de pecunia hæreditaria, quæ certa eſt, recte conſervanda, quam de ſtudiis, quorum exitus incertus eſt, proprio ſumtu & immenſo labore ſuſcipiendis & pertexendis laboraturi ſunt. vid. Thomming. *Dec.* 32. Cothmann. *Vol. Reſp.* 17.

§. XV.

Ex prædictis porro facile colligere licet, quod etiam libri a patre comparati, filiis jure præcipui cedant. Quamvis enim nonnulli Dd. diſtiguant, an libri filiis emti ſint durante curſu ſtudiorum, an vero abſoluto; ita ut hoc quidem, non vero illo caſu eos præcipuos habeant. Attamen alii rectius ſtatuunt, illam diſtinctionem a forma ſtudiorum alienam, prorſus rejiciendam eſſe. Cum enim in genere ſumtus ſtudiorum a collationis neceſſitate exemti ſint, idcirco & libri neceſſarii erunt eximendi. Quid enim magis ſtudiorum ſumtibus annumerari debet, quam libri neceſſarii, ſine quibus ſtudia continuari nequeunt; ſiquidem libri ſunt ſtudioſorum arma, *Gl. in l.* 125. *ff. de V. S.* iisdemque non minus neceſſarii quam arma militibus eſſe poſſunt. Gœdd, *ad l.* 41. *n.* 7. *ff. de V.S.* Præterea hic notandum, quod, cum filii etiam præcipua

pua

pua habere debeant ea, quæ a parentibus propter onera dignitatis ſunt expenſa. *l.* 1. *ſ.* 16. *ff. de collat.* Idcirco inter illa etiam referri poſſunt ſumtus in honorem Doctoratus, Licentiaturæ, Magiſterii, Comitivæ, Notariatus, aliamve dignitatem conſequendam facti. Et quamvis ad publica officia non pretio, ſed probatæ vitæ teſtimonio accedendum, nihilque turpius ſit, quam pretio & infamibus hiſce ſumtibus tranſcribi id, quod virtutum & meritorum oportet eſſe præmium. *l. fin. C. ad L. Jur. repet. Nov.* 8. Attamen quoniam vitio ſeculi, hæc nundinatio in variis locis publice eſt introducta, idcirco etiam ea, quæ parentes propterea largiti fuerunt, præcipui loco haberi, adeoque a filiis non conferri ſtatuunt Dd. arg. *l.* 1. *c.* 1. *ſ.* 16. *ff. de collat. l.* 20. *ſ.* 6. *de fam. herciſ. l.* 3. *ſ. f. ff. de Mun. & hon.*

§. XVI.

Eadem etiam procedere dicunt in ſumtibus, quos in filiorum peregrinationes impenderunt parentes. Licet enim peregrinationes nihil commune cum ſtudiis habere videantur, & multi feliciter conſilio Principi adfuerint, qui peregrinas oras penitus non viſitarunt; Ea ſiquidem hodie rei litterariæ & copia & elegantia eſt, ut nihil quicquam, quod exterarum quoque Rerumpubl. gubernandi rationem attinet, amplius in occulto ſit; Attamen cum adeò frequentia cum exteris intercedant negotia, quæ feliciter expediri, omnino Reipubl. intereſt, hoc vero non æque commode fieri poſſit, niſi exterorum pariter & mores & linguæ ex converſatione cum ipſis nobis perſpectæ ſint, utique utile eſt, ad exteras quoque Provincias, cum ſelectu tamen ingeniorum (haud

Digitized by Google

pauci enim plus vitiorum, quam virtutum ab exteris domum reportant) ablegare filios, ut prudentiam civilem eò ſolidiorem ſibi comparent, quod merito etiam ſumtibus ſtudiorum annumerandum; & ita expenſæ peregrinationis utiliter factæ non erunt conferendæ, ſicuti eleganter docet Stryck. *Tr. de Succeſſ. ab inteſt. C. 3. Diſſ.* 11. §. 16.

§. XVII.

Hocque circa dictos ſumtus ſtudiorum, Ddes ampliant, etiamſi pater illos conſignaverit, non tamen credendi animo, *c. l.* 50. *ff. fam. herciſc.* quod ex ſimplici patris annotatione non præſumitur, niſi expreſſe declaratum, vel cautum habeatur, & tunc accipitur non de neceſſariis, vel alimentis, ſed ſuperfluis, Kurrer *de Immun. ſumt. ſtud. a collat. th.* 30. *& ſeqq.* Quod ſi ergo Pater expreſſe declaret, eos credendi animo ſuppeditaſſe, tunc collationi locus erit. Sicuti quoque in eo caſu ſumtus ſtudiorum reſtituendi ſunt, ſi à filiis male impenſi & collocati fuerint, illique literis operam non navaverint; ſed illicito modo pecuniam prodegerint. Ceſſantibus enim ſtudiis, ceſſat favor ſtudiorum cauſa introductus, & qui unquam peculio caſtrenſi tales ſumtus inutiliter conſumti accenſendi? cum negligentia ſua fecerint, ne unquam peculium quaſi caſtrenſe ſibi parare poſſint. Imo ceſſat ſic omne decus & ornamentum, quod familia & cohæredes, vel utilitas, quam Respubl. ſperare poterant. vid. Richter, *ad Authent. Habita C. Ne fil. pro patre.* Vinn. de *Collat. c.* 12. §. 7. Facit huc ſevera illa admonitio Sereniſſ. Elector. Saxon. *in Deciſ. Noviſſ.* 50. *in fin.* quæ digna eſt, ut hic allegetur: Wobey wir hierüber alle und jede

Kinder

Kinder / welche die Eltern auf Schulen und Univerſitäten ſchicken / alles Ernſtes / und ſo lieb ihnen ihre Wohlfarth iſt / treulich vermahnet haben wollen / daß ſie die Zeit und Unkoſten denen Eltern zur Freude und Troſt wohl und nutzlich anlegen / was redliches lernen / und vor Müſſiggang / Hoffarth / Verſchwendung und andern frechen ärgerlichen Beginnen ſich hüten ſollen / damit widrigen Falls / und ſo wir erfahren werden / daß ſie mit bloſſer Uppigkeit der Eltern Vermögen verſchwendet / nicht veranlaſſet werden / ſie ſolches Privilegii, deſſen ſie ſich denn dadurch ſelbſt unfähig gemacht / nach Befindung verluſtig zu erklären / oder mit andern Straffen zu belegen. Similis deciſio reperitur in Reform. Francof. *P. 6. Tit. 5.* §. 4 ubi referente Malcomeſ. *in Not. ad Ludvvell. Comment. ad ff. Tit. de collat. Dot. lib 6.* hæc habentur: Doch da ſich befände / daß dieſelben Söhne ſolche zum Studio oder ſonſt auf ſie gewandte Unkoſten übel angelegt / überflüſſige Koſten / mit Zehrungen / Verſchwendungen / Schencken / Spielen / oder in andere ungebührliche Wege getrieben / dadurch auch viele Schulden / ſo die Eltern folgends vor ſie bezahlen müſſen / gemacht hätten; So ſollen ſie ſolches in der Erbtheilung abziehen zu laſſen / ſchuldig ſeyn. Quæ ſane prudenter ita ſancita, quo magis filii ſtudiis adſtringantur: Melius enim eſt juveniles coarctare calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum exſpectat patrimonium; uti appoſite loquitur Imperator in *l. ult.* §. 5. *C. de Bon. quæ liber.*

§. XVIII.

Hactenus de rebus, quas filii tantum ex ipſa lege præcipuas capiunt; ſequuntur nunc eæ, quas tam filii

quam filiæ ex lege præcipuas habent. Huc pertinent dona baptiſmalia, item a Principe vel Auguſta filiis vel filiabus donata, per *l.* 7. *C. de bon. quæ lib* Enenckel. *de Privil.* 10. *n.* 8. vid. omnino Lauterb. *ad Tit. ff. de pecul th.* 32. nec non donata a patre ob bene merita, quæ tamen probari debent, quia non ſufficit dicere, dono filiis vel filiabus bene meritis. vid. Gail. *l.* 2. *Obſ.* 38. *n* 5. Porro huc pertinent veſtimenta in uſum quotidianum data, quia hæc appellatione alimentorum comprehenduntur. *l.* 6. *ff. de Aliment. legat.* Item bona adventitia undecunque citra reſpectum paternum quæſita. Uſusfructus quoque horum bonorum adventitiorum huc pertinet, ſi pater filiis vel filiabus ceſſit, quia & hoc lucrum iisdem tanquam præcipuum poſt mortem patris manet, per *l.* 6. §. 2. *verſ. ſin. autem. verb. poſt obitum patris ipſa lucratur*, *C. de bon. quæ lib.* Non enim pater ita fit pauperior, nec alienaſſe creditur, dum non acquirit, *l.* 6. *pr. ff. de his quæ in fraud. Credit.* Cum autem ſæpius parentes expenſas faciant in bonis liberorum adventitiis, quæritur: An etiam liberi has impenſas præcipuas habeant, an vero easdem conferre teneantur? & notum eſt aliàs uſufructuarium vi percipiendæ utilitatis ad id obligari, ut ſarta tecta habeat ædificia. *l.* 7. §. 2. *ff. de uſufr.* cum ergo pater quoque uſufructuarius ſit, idem dicendum: ut adeo non ſit quæſtio de expenſis modicis ad conſervationem rei neceſſariis, nec de expenſis in fructuum perceptione factis, quas ille, qui fructus percipit, in ſe ſuſcipere tenetur; nec de impenſis litis ad defenſionem rerum neceſſariis; cum enim pater harum rerum nomine & agat & conveniatur, idcirco & expenſas ex fructibus impigre facere,

&

& litem inferentibus reſiſtere tenetur. *l.* 1. *C. de Bon. matern.* Secus ergo, ſi quæſtio ſit de impenſis majoribus, ad quas faciendas cum pater non ſit obligatus, utique liberi ad earum collationem tenentur, quia hic donandi animus non eſt præſumendus, neque pietatis præſumtio, utpote quæ non æque cadit in res, quam in perſonas liberorum.

§. XIX.

Præcipuum legitimum (de cujus materia objectiva hactenus actum) nunc excipit filiorum & filiarum Præcipuum ſtatutarium; quod iterum variis in rebus conſiſtit, inque iis determinandis uniuscujusque loci & regionis ſtatuta attendenda veniunt. Secundum Statuta Norica *l.* 2. *Tit.* 34. Filii præcipua habent omnia patris arma, tela & veſtes paternas, & libros, qui non pertinent ad negotiationem, was nicht Handels-Bücher ſeyn. Hi enim ſunt communes filiis & filiabus. Filiæ vero præcipiunt veſtes maternas, tunicas, vittas & alia, quæcunque ſunt mundi muliebris. Quo etiam pertinent Gürtel/ Meſſer/ und Beutel. vid. Gail. *l.* 2. *Obſ.* 91. *n.* 4. ubi docet ornamentorum muliebrium appellatione generaliter contineri ea, quibus mulier ornatur, per *l.* 22. *cum aliqq. ſeqq. ff. de aur. & arg. leg.* Non vero catenæ vel annuli aurei, quia hi promiſcui ſunt, tam apud mares quam fœminas. vid. Wehner. *in obſervat. Pract. verb.* Leib. Item Dn. D. Wurfſbein. *in Differ. Jur. Civ. & Nor.* ubi addit, quod ex quorundam opinione nec corona ſponſalitia, die Braut-Cron ad Præcipuum filiæ pertineat. Cum enim allegata *l.* 2. *Tit.* 34. Ref. Nor. ut D. Ritterſhuſius interpretatur, agat

 de

de mundo muliebri, hic vero ab ornamentis, ſub quibus etiam talis corona continetur, diſtinguitur, vix hanc filia conſequetur. unter der Mutter Kleyder/ Schleyer/ Hauben/ und andern Gebanden. Et primo quidem quia ſub generalitate non continentur majora expreſſis, Clement. *non poteſt. de Procurat.* Atqui nulla ſimilitudo eſt hujus coronæ cum iis quæ in *d. l.* 2. von dem Voraus der Söhne und Töchter / exprimuntur, vid. Fichard. *Conſ.* 139. *n.* 6. Facit quod generale vocabulum: *Alia* oder andern / ſubjectum, ſpecificatis præmiſſis ita reſtringatur, ut ſit repetitivum ſimilium non diſſimilium. Secundò, quia generalis oratio reſtringenda ex æquitate *l.* 11. §. *f. ff. de A. E.* & ad ea, quæ ſunt rationis *l.* 11. *de in Jus voc.* ne quis indebite damnum patiatur, quod in contrario caſu, ſi ſcil. corona illa inter præcipua habenda eſſet, facile fieri poſſet, vid. ante laud. D. Wurffb. *c. l. p.* 232.

§. XX.

Moribus Saxonicis Filii equeſtris ordinis præcipuas habent res expeditorias das Heer-Gewett. vid. Sächſ. Land-Recht. *l.* 1. *Art.* 27. §. Ein jeglich Mann. Quænam vero ſpecies inter res expeditorias referantur, oſtendit Richter. *Tr. de ſucceſſ. ab inteſt. Sect.* 1. *membr.* 1. *n.* 56. ubi multa hanc in rem præjudicia affert, ex quibus hoc colligere licet. Sic etenim ad conſultationem Reginen von Wolffframsdorff reſponſum fuit menſ. Jan. A. 1634. zum Heer-Gewette gehören eures verſtorbenen Bruders beſtes Pferd geſattelt / und gezäumet / ſein beſter Harniſch / Schwerdt und Schild / ſeine tägliche Kleider / ein Tiſchtuch / zwey zinnerne Schüſ-

Schüſſeln / ein Fiſch-Tiegel / eine Hand-Queel / ein Hohl-Rinck / oder Keſſel-Hacke / und ein Heer-Pfüel / das iſt / ein Bette nach den Beſten / ein Küſſen und zwey Leylachen. Filiæ vero iisdem moribus Sax. præcipiunt bona utenſilia, ſeu Geradam. Quænam vero res ad Geradam ſpectent, hoc quidem determinatum im Sächſ. Land-Recht / *l.* 1. *Art.* 24. potius tamen ex conſuetudine hoc ipſum dependet, quæ pro diverſitate locorum variat. Hinc in determinatione Geradæ, primum inſpicienda venit loci conſuetudo: poſtea vero poſſeſſio mulieris: nam ex his bonis, quæ uxor tempore mortis poſſedit, bona utenſilia peti ſolent. Carpz *P.* 2. *Conſt.* 14. *Def.* 25. *n.* 7. Species vero Geradæ ſeu bonorum utenſilium prolixe enarratas vid. ap. Hartm. Piſtor. *P.* 1. *quæſt.* 32. *in fin.* Richter. *de ſucceſſ. ab inteſt. Sect.* 1. *memb.* 1. *n.* 69. *ſeqq.* in verbis: zu der Gerada gehören nachfolgende Stücke / als da ſind güldne Ringe / Ketten / Kleinodien / jedoch wofern ſolche Stücke eure verſtorbene Schweſter getragen / und in ihrer Verwahrung gehabt / desgleichen die angeſchnürten Perlen / wenn ſie von beſagter eurer Schweſter am Halſe getragen worden / gebleichte und ungebleichte / verſchnittene und unverſchnittene Leinwad / roh und geſotten Garn ꝛc. Plura vid. ap. cit. Richter. *n.* 70. 71.

§. XXI.

Hæc de rebus quæ filiorum & filiarum Præcipuum conſtituunt, dicta ſufficiant. Ordinis ratio nunc exigit, ut ad formam & modum conſtituendi Præcipui accedam. Ad formam quod attinet, illa in omni Præcipuo fere una eademque eſſe ſolet, ita ſcilicet, ut filii vel filiæ illud

illud ſibi aſſignatum, ſi nondum habeant, ante hæreditatis diviſionem, præter hæreditariam portionem, præcipere poſſint, *l.* 34. *§.* 1. *ff. Leg.* 1. Quod vero modum concernit, iſtum varium eſſe ex ſupradictis facile colligi poteſt; ubi oſtenſum fuit, quod inprimis prælegatum conſtituatur teſtamento, & quidem ſolenni & de Jure valido, quoniam ex teſtamento ratione ſolennitatum imperfecto prælegata non debentur *l.* 29. *pr. ff. Qui teſtam. fac. poſſ. l.* 11. *§.* 1 *ff. de leg.* 3. Unde & olim illa prælegatorum verba ſolennia fuerunt; Hæres meus præcipito, præcipuum habeto, ceu patet ex *l.* 27. *§.* 3. *ff. de Inſtr. vel inſtr. leg.* ibi liberto, quem ex parte hæredem ſcripſit, fundum per præceptionem dedit, in hæc verba: Pamphile liberte præcipito, tibique habeto fundum meum Titianum; Item ex *l.* 34. §. 1. *ff. de legat.* 2. ibi præcipuum volo eum accipere Syntheſin ſterilium villarum cum impoſitionibus ſuis &c. conf. *l. f. ff. de pecul. leg.* Hic tamen probe notandum, quod parentes de Præcipuo feudali per ultimam voluntatem diſponere nequeant, quia providentia conſuetudinis feudalis hoc tribuit privilegium filiis. Unde hic proviſio legit facit ceſſare proviſionem hominis, vel Speidel. *Spec. verb.* Voraus. Hinc etiam de Præcipuo ex Jure Saxon. Parentes ultima voluntate diſponere non poſſe, teſtatur Carpz. *P.* 3. *C. ult. Def.* 34. quoniam res expeditoriæ filiis, & bona utenſilia filiabus ex ſingulari illius Juris diſpoſitione debentur, conf. Modeſt. Piſtor. *P.* 4. *Qu.* 131. *n.* 33. vid. tamen Hier. Wurffbein. *in Diff. Jur. Civ. & Nor. Cl.* 1. *Membr.* 2. *Sect.* 1. ubi clare oſtendit, quod de Jure Nor. ſecus ſit, & textus ſupra citatus Ref. Nor. de Præcipuo filiorum & filiarum tantum locum habeat, quando ab inteſtato ſuccedi-

tur,

Digitized by Google

tur, per expreſſum Illuſtris Senatus Decretum *de A.* 1626. *d.* 7. *Julii.*

§. XXII.

Progredior nunc ad cauſam finalem, quæ pro diverſitate Præcipui diverſa eſſe ſolet. Alia enim eſt ratione Præcipui ex ultima voluntate, alia reſpectu illius, quod deſcendit vel ex lege, vel ex converſatione, vel ſtatuto, & quidem reſpectu Præcipui ex ultima voluntate, cauſa finalis hæc eſt, ut honoretur hæres, cui prælegatum eſt relictum; inde fere eadem eſt, quæ in legatis, ut ſc. benigne fiat prælegatario *l.* 75. *pr. ff. de legat.* 2. Reſpectu Præcipui legitimi, cauſa finalis eſt compenſatio egregiarum illarum operarum & laborum, quos filii pro defendenda ac conſervanda Republ. ſuſceperunt & ſuſtinuerunt. Ut enim filii ad militares labores invitarentur & ſtudia ſine quibus nulla diu ſubſiſtere poteſt Respubl. foverentur; Sane neceſſe fuit, ſingularia iisdem præmia & privilegia concedere & indulgere, ut pericula & onera honoribus plerumque conjuncta compenſarentur. *l.* 2. *C. de offic. Magiſtr. milit.* ibique Ddes. Ratione Præcipui, quod filiis ex Jure feudalii competit, cauſa finalis eſt, partim memoria agnationis & familiæ, in eaque bonorum perpetua conſervatio. Putarunt ſiquidem Prudentes antiqui, è re Reip. eſſe, conſervari familiarum ſplendorem poſteris, ut bene geſtarum memoria Majorum cum nomine & bonis in perpetuum ſuperſtes ad imitationem virtutis & actionum impelleret. Petr. Greg. Tholoſ. *in Syntag. L.* 45. *c.* 13. *n.* 4. Partim utilitas

D Do-

Domini directi, ut is ſibi fide & officio devinctum habeat eum, in quem beneficium contulit; *c. Inveſtitura. §. 1. verſ. 1. nulla autem. 2. F. 3. & C. Qualit. autem. 2. F. 5.* Partim denique utilitas ipſius Vaſalli, ut is propter ſervitia & fidem, beneficiis & benevolentiâ Domini cum ſuis in gaudio utatur fruatur. *c. Obert. verſ. 5. inprimis 2. F. 3.* Finis denique Præcipui Statuarii eſt, ut filii res expeditorias præcipuas habeant, illeque conſiſtit in utilitate Reipubl. cujus intereſt, cives habere armatos. Ne ergo, dum tales res inter filios & filias dividuntur, filii inermes fiant, idcirco non ſine ratione videtur ſtatutum, ut filii res expeditorias: filiæ vero, ne hoc modo prægraventur, in recompenſationem bona utenſilia præcipiant.

§. XXIII.

His conſideratis, agendum nunc erit de remediis ſeu actionibus ad Præcipuum conſequendum ſeu vindicandum competentibus. Ad Præcipuum igitur ex ultima voluntate obtinendum, tres proditæ ſunt in Jure actiones; videlicet actio ex teſtamento, Rei vindicatio, & actio hypothecaria. Prima ex quaſi contractu oritur, quem hæres hæreditatem adeundo cum legatariis & fideicommiſſariis celebraſſe intelligitur. *§. 5. Inſt. de Oblig. quæ ex quaſi contr. naſc.* Secunda ex Dominio, quod a morte teſtatoris recta via in Legatarium tranſit. *l. 80. ff. de legat. 2. l. 64. ff. de Furt.* Tertia ex tacita hypotheca, quam lex non quidem in ipſis rebus legatis (ut nonnulli volunt) ſed in rebus hæreditariis conſtituit.

Digitized by Google

ſtituit. *l.* 1. *C. commun. de legat.* Notandum vero has actiones non cumulative concurrere, ut ſimul eodem libello intentari poſſint, ſed elective, ita ut legatarius unam eligere, eâque rem legatam perſequi debeat. *l.* 84. *§. ult. l.* 108. §. 2. *ff. de legat.* 1. *l.* 76. §. *pen. ff. de legat.* 2. Ad conſequendum Præcipuum legale, liberis directam rei vindicationem competere, exinde ſatis probatur, quod hujus intuitu ſint domini. *l.* 23. *pr. ff. de R. V.* Pro Præcipuo vero ex Jure feudali obtinendo, datur utilis rei vindicatio, *tex.* 2. *Feud.* 8. *§. Rei autem.* Struv. *S. J. F. c.* 16. *Aph.* 1. *n.* 4. Et denique ad conſequendum Præcipuum ſtatutarium puto competere condictionem ex Lege ſeu ſtatuto, vel ex moribus, quæ toties competit, quoties non eſt cautum, qua actione ſit utendum. vid. Lauterb. *ad Tit. ff. Condict. ex Leg. in fin.*

§. XXIV.

Denique paucis adhuc diſcipiendum erit de contrariis & modis, quibus Præcipuum tam filiorum, quam filiarum iterum deſtruitur & infirmatur. Quemadmodum autem aliàs nihil tam naturale eſt, quam ut unumquodque eo, quod colligatum eſt modo, rurſus diſſolvatur; *l.* 35. *ff. de R. J.* Ita & præcipuum ultima voluntate relictum contraria voluntate revocari & adimi poſſe, indubium eſt. *pr. &* §. 1. *Inſt. de Adimend. legat.* Quodque inſuper Præcipuum legitimum filiis & filiabus ut indignis variis modis auferri poſſit, conſtat ex *tot. tit. C. de his quib. ut indign.* & *tot. tit. ff. de his quæ ut indign.* Tandem & Præcipuum præſcriptione, (ſi ſcil. proximus

D 2 agna-

agnatus res expeditorias, vel proxima cognata Geradam intra annum & dies à tempore ſcientiæ computandos, non petat) amitti conſtat aus dem Sächſ. Land-Recht *l.* 2. *Art.* 44. conf. omnino Richter. *Tract. de ſucc. ab inteſt. Sect.* 1. *Membr.* 1. *n.* 59. & 74. Item Matthias Coler. *Part.* 1. *Deciſ.* 30. *n.* 14. & *ſeqq.* ad quos brevitatis ſtudio me remitto, hancque diſputationem cum Eo, quo inchoavi, DEO O. M. in præſentiarum

F I N I O.

Præci-

Digitized by Google

PRæcipuum REYHERE doces, quantisque fruatur
Juribus, eximie, Sexus uterque, probas:
Præcipuos hinc jure feres DOCTORIS Honores,
Præcipuas Laudes, *Præcipuumque* Decus.

Honoribus Reyherianis, *per Specimen hoc Inaugurale inſigniter amplificandis, ex animo favens applaudensque ſcrib.*

JOH. HENR. MVLLER, P. P.

NUn hat die Themis Dir den Voraus zuerkandt/
und Deine Tugenden ſind auf das höchſt geſtiegen/
Dir iſt das wahre Glück anitzo ſo verwandt/
Daß Du ins künftige wirſt ſtetig oben liegen.

Giebt

Giebt Dir der Doctor-Hut die allergröſte
Ehren/
So wird auch künfftighin Dein Ruhm ſich
mercklich mehren.

Mit dieſen geringen Zeilen ſolte und wolte Seinem HochgeEhrteſten Herrn Contubernali zu der rühmlichſt abgelegten Diſſertatione Inaugurali gehorſamſt gratuliren/ und ſich zu Deſſen fernerer Affection empfehlen

M. Ambroſius Scheumæder, Norib.
Miniſt. Candid.

Aſſiduo, Reyhere, Tibi *ſudore paraſti,*
Notitiam Juris judiciumque ſagax.
Digna Tuis ſtudiis hinc præmia jure ſequentur,
Jamque repoſta manent laurea ſerta Tibi.

Hæcce
Prænobiliſſimo Domino Candidato
ex ſincero animo ſcripſit
Ejus
obſervantiſſimus
Chriſt. Fried. Leonhartus,
Salisb. Palat. Opp.

Nun

NUn haſt Du obgeſiegt / nachdem die Themis
Dich /
Wie Du ſchon längſt verdient / zu ihrem Sohn
erkieſet.
Wer ſo / wie Du / den Lauff der Lehren glücklich ſchlieſet /
Der hat den beſten Theil und gröſten Ruhm vor
ſich.
Nimm nun die Würde an / die Dir der Himmel
giebt /
Und deren auch Dein Fleiß nicht hat entbehren können.
Du kanſt mit allem Recht Dich jetzo glücklich nennen:
Weil Dich beſonders hat das gute Glück geliebt.
Es wird hinfüro Dich / nicht wie es ſonſten pflegt
Beſtändig auf den Weg vergnügter Wohlfahrt füh-
ren.
Und wird es Dich noch mehr mit ſolchen Ehren zieren /
So hat es ſeine Huld gnug an den Tag gelegt.

Hiemit wolte dem Hn. CANDIDATen
wegen des Speciminis Inauguralis
Glück wünſchen / und ſeine Freude
geziemend bezeugen

ein ergebener Freund

Joh. Heinr. Rößler / Norib.
Philoſoph. & LL. Stud. Opp.

Es

ES hat der Muſen-Freund Apollo veſt
beſchloſſen/
Daß ſeinen Söhnen ſollt' ein Erb zum
Voraus ſeyn.
Der Schluß wurd gleich vollbracht: Es iſt
auf Sie gefloſſen
Der wahre Ehren-Ruhm/ der ohne
falſchen Schein.
Auch Dir/ Herr Reyher/ wird diß Erb zum
Voraus bleiben/
Weil Du durch Deinen Fleiß ein Sohn
Apollo biſt:
Der wird auch Deinen Ruhm den Sternen
einverleiben.
O welch ein herrlich Erb/ das immer-
während iſt!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA [illegible] EMANUELE

Mit dieſen wenigen Zeilen wollte dem
Herrn CANDIDATEN wegen des
abgelegten Speciminis Inauguralis
ſchuldigſt gratuliren

Chriſtoph Gottlieb Dillherr/
von Thumenberg/ Oppon.

Digitized by Google